QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 17. Decembris 1711.

M. MATHÆO DIONYSIO FOURNIER, Doctore Medico, Præside.

An febribus malignis minùs tuta Alexipharmaca?

I.

MALIGNÆ febres, quod præter speciem sæviant & hanc plus habeant in recessu quam in fronte certam, causæ morbificæ & inde ortorum affectuum conditionem arguunt, undè febres ab innatâ indole & nocendi consuetudine graviora symptomata summumque periculum inferunt. Hæc autem licet multiplicia sint & omnino diversa; in omnibus tamen virium prostratio, eaque vel in primâ febris invasione, pulsus ut plurimùm parvus ac debilis, non rarò intermittens, modò magnus, modò durus, modò ad statum naturalem accedens; urget intensus capitis dolor, vigiliæ aut sopor, anxietas, delirium, tendinum subsultus, & convulsiones; modò febricitantes torquet inexhausta sitis, modò vomitus, singultus, cardialgia aut syncope, nonnumquam lateris dolor punctorius, tussis acerrima, calor interiùs deurens, arescente linguâ & faucibus, interdùm citrà ullum ariditatis sensum, modò stillicidia per nares superveniunt, persæpè alvi fluxus, urinæ ut plurimùm sanorum urinis simillimæ, sæpiùs crudæ, modò turbidæ excernuntur; huc accedunt Parotides, Bubones, Tubercula, Carbunculi, ac interdum Sphacelo partes corripiuntur; sudores modò colliquativi, modò nulli, modò subacidum redolentes, modò salsum nidorosum ac cadaverosum odorem spirantes. Hæc symptomata modò plura, modò pauciora concurrunt, ac diversimodè complicantur, variasque tunc malignæ Febres ab adjunctis exteriùs sortiuntur appellationes: sic Febres Petechiales, à Petechiis, seu maculis in toto corporis habitu efflorescentibus; à tuberculis minoribus erumpentibus, Morbilli; à tuberculis majoribus suppurantibus, seu pustulis totam cutim deturpantibus & desquammantibus, Variolæ; ab excretione cutis miliari rubente, Purpureæ habentur.

II.

TANTA tot symptomatum diversitas ex vario fermentationis sanguinis gradu sobolescit, diversâque fermenti mole ac figurâ, quibus & diversimodè liquatur sanguis, diversoque concursu principiorum, recrementitii & excrementitii humores diversas sortiuntur labes, undè & functionum labefactatio diversaque producta morbosa erumpunt. Quocumque modo solutâ sulphureâ sanguinis compage, illicò & diffluant spiritus, labanturque vires necessum est. At inusta labes partibus solidis corporis, in productis Anthracibus, &c. humores aquarum stygiarum naturam æmulantes arguit; sive ergò fermentum ad salsum acidum vergat aquæ forti analogum, sive ad salsum acre & aquæ regiæ similius,

peræquè labem inuret sanguini & partibus solidis, illarumque texturæ fibrosæ dissolutionem molietur gravissimaque inducet symptomata, licetplurimùm inter se diversa penès molem & figuram fermenti ac fermentationis modum.

III.

LICET aëris vehiculo sanguis in pulmonibus effluviis quibuscumque heterogeneis alterari possit, seu Mineralium, seu Vegetabilium, seu Animalium putrescentium, quæ caloris motu, seu solari, seu intrinseco terræ, in aëra resolvuntur, atque hinc persæpè fermentum Febrium malignarum salsoacidum aut salsum acre sanguinem inficiat brevì dissolvendum; frequentiùs tamen fermentum illud salsum coalescit ex salso transpirationis, repentinâ ambientis aëris mutatione aut frigiditate, in sanguinem suppresso, quod salsum suâ naturâ volatile frigore densatur, ac modò nubit salibus acidis aut alkalinis, majoremque molem, ac fixitatem adeptum, tantò citiùs texturam sanguinis fundit & colliquat, quantò majori motu prò majori soliditate jactatur; sicque ventorum contrarietates, tempestatum inæqualitates ac intemperies, uno verbo alterationes subitaneæ aëris fæcundæ matres febrium malignarum. Cum verò alterationes & modificationes aëris diversæ, prò diversis tempestatibus, diversimodè corpus exteriùs sanguinemque inficiant, non mirùm si productum salsum modo acidum modo acre redoleat, diversamque nanciscatur molem ac diversos motus producat in sanguine, undè tam varia oborientur symptomata; & quoniam eædem modificationes aut repentinæ aëris mutationes ad aliqualem distantiam & certam terræ plagam propagantur ac similiter plerorumque incolatum corpora alterantur, planum est hac causâ obortas malignas febres epidemicè grassari. Similiter si æstate pluviosâ, aut minus calente aëre, semina cerealia substantiâ gummosâ fixiori & acidiori turgeant, futurum ut labefactatâ digestione & alteratâ fermentatione naturali, diversi generis ac omninò heterogenea salsa vel in primis viis vel in sanguine germinent. Liquores ardentes, aut vinum generosum nimiâ quantitate haustum, aut acidum, aut dulce, aut tartareum, (hæc omnia) febrilem fermentationem accendere valent, productisque diversi generis salsis sanguinem dissolvere. De animi Pathematis notum est quod amor, desiderium, & gaudium, cordis & sanguinis motum accelerent, ut & odium, timor, & tristitia, eumdem cordis & sanguinis motum cunctentur prò majori aut minori spirituum animalium fluxu in nervos cardiacos ab impressione objectorum aut vestigiis eorumdem cerebro insculptis; undè liquet ex inordinatis animi motibus ac consequenter cordis pulsationibus & alterari fermentationem sanguinis, novoque concursu salium salsa etiam diversi generis, fermentaque febrium malignarum coalescere, atque ità Variolis corripi, anxietate, tristitiâ, aut timore percitos non rarò observamus, nisi forte malueris quod in his animi & cordis motibus sanguis alterationi & impressioni aëris magis pateat, minùsque connivet ut cujus motus languidior est. Vigiliæ & motus, sanguinis texturam dividunt, partes aqueas & subtiliores dissipant, undè salsedo totiûs massæ & salsorum concretio ac tandem sanguinis liquatio. In quiete & somno nimiùm protracto torpet & sanguinis & cordis motus, incrassantur humores, subsidentque & coeunt invicem inertia ad motum salia, undè salsorum sanguinem colliquantium proventus.

IV.

QUANTUM à febre malignâ periculi inpendeat indè collige: si enim fermentum salsum constanter ac pertinaciter hæreat & unà vehatur cum sanguine, necessum est ut magis ac magis fermentando solvatur & colliquetur,

5

donec, solutâ compage principiorum sanguinis, ejusdem motus omninò sufflaminetur: sic observantur exsanguia vasa in cadaveribus Variolis aut aliis malignis febribus defunctorum. 2. Quoniam fermentum salsum sanguinis æstum ac turgescentiam fovet, futurum, præ compressione & inflammatione vesiculatum pulmonarium aut texturæ cerebri mollioris, ut alterutrius aut utriusque compages collabatur, atque apoplectico insultu (aut suffocati) pereant ægrotantes. 3. Quoniam sanguis & limpha eam salsedinem contraxêre, quâ textura fibrosa partium solidarum quas alluunt abradatur atque solvatur periculum inpendit à sphacelo. Metuendùm denique nè, sulphureâ sanguinis parte divisâ, salia fermentativa febrilem æstum foveant quò corpus emaciatum contabescat; eò autem majus periculum inpendit, quò febris gravioribus symptomatis stipatur; ut si, V. G. pulsus parvus & intermittens concurrat cum syncope, sopore, & virium prostratione, delirium cum tendinum subsultu, pulsu duro sive magno sive debili, dolor lateris cum singultu aut cephalalgiâ, urinæ crudæ aut limpidæ cum ariditate cutis & inæqualitate pulsùs tùm penès magnitudinem aut celeritatem; vomitus cum cardialgiâ aut diarrheâ, cum sudoribus colliquativis & stillicidio sanguinis per nares aut per alias vias: hæc & similia pessimum portendunt omen.

V.

TOT tantisque periculis occurrendum; & quoniam vel cerebri vel pulmonum inflammatione ut plurimùm hujusmodi ægrotantes intereunt, nec citiùs inflammationis quarumcumque partium corporis periculum averti possit quam venæ sectione, quâ, imminuta sanguinis moles liberiùs per vasa fluit, nec stagnat, nec irrumpit in substantiam partium molliorum, liquet hanc vel ex primâ febris invasione celebrandam esse, ac denuò iterandam prò copiâ sanguinis aut ejusdem æstu, aut sanguinis & humorum crassitie, & quoniam detractâ fermenti parte unà cum sanguine in ipso primo febris obortu, & antè solutionem sulphureæ substantiæ sanguinis, minor in totâ massâ fermentationis motus excitatur, futurum ut à residuo in vasis fermento, minùs quoque colliquetur, atque adeò venæ sectionibus à principio morbi febrilis æstus citiùs refrænetur, quæ quidem venæ sectiones in progressu febris non sic feliciter succedunt, postquam fermentum cum sanguine devolutum principia ejusdem fermentativa in motum egerit, solutis staminibus sulphureis quibus salia vinciebantur; cûm verò minori copiâ sanguinis vasa regurgitent, minùs quoque viscerum colatoria & cutis glandulas ab irrigante sanguine comprimi & angustari necessum est, ac proindè humores magis discretos tùm per habitum corporis, tùm per alias vias faciliùs secerni, undè pacatior sanguinis motus. At verò cum sanguis præter mensuram & certam quantitatem extrahi non possit nisi vitales functiones collabantur, residuumque fermentum in massâ superstite (utcumque modicum) hanc perpetuò fermentando eliquat, necessum est ut minori sanguinis dispendio reliquum fermenti ejusdemque productum foras eliminetur. ergò vel sudorificis remediis opus est vel Emetico-catharticis. Verùm sudorificorum usus minùs venæ sectionis indicationi favet, quâ sanguinis æstum compescendum & deplenda vasa contendimus, hæc enim non nisi majori totiùs massæ fermentatione, sudorem aut diaphoresim promovent; & quoniam massa sanguinis & humorum peræquè rarefactione partium plùsquam mole & copiâ vasa ingurgitat molliоresque partes, cerebrum & pulmones comprimit, earumdem partium inflammationis ex sudoriferis periculum inpendit, quantacumque humorum copia per habitum corporis excernatur ac continuò diffluat; etenim spiritus salino volatiles aut sulphurei quâ vi feamentationem

312

ſanguinis urgent, tùm concurſu proprio cum principiis ſanguinis, tùm evolutione ſalium fermentantium, eâdem cordis pulſationes accelerant, ſanguiſque non eâdem proportione præterlabens extrema arteriarum capillarium quâ à corde truditur, in iiſdem aggeritur & ad dehiſcentiam cogit, ſtagnatque in ſubſtantiâ partium, quin & excrementitii & recrementitii humores turbinato motu majori confuſi minùs facilè extricantur per compreſſa alioquin glandularum Colatoria ſecernendi: hinc cerebrum & nervi ſolitâ ſpirituum copiâ defraudantur, vireſque potiùs collabuntur quàm refocillentur volatilium uſu; imò verò fermentativo Cardiacorum motu tùm in primis viis tùm in ſanguine, fervidior ſale & ſulphure Chylus novos fermentationi ſanguinis addit ſtimulos, parteſque ſalinæ aquearum diſceſſu in craſſiores moleculas coaleſcunt, tantòque magis causticæ, ac fibroſæ ſanguinis partiumque ſolidarum ſubſtantiæ diſſolvendæ aptiores evadunt, quantò majorem molem adeptæ ſunt; ergò ad ſecretionem fermenti febrium malignarum ejuſdemque producti Emetico-cathartica in ſubſidium advocanda ſunt; illâ enim humorum excretione quam promovent, fermentum & productum morboſum magnâ ex parte & leniori motu auferunt, tutiùſque vaſorum plenitudini conſultum videtur, ac ſanguis defæcatior alacriùs liberiùſque per vaſa fluit, excrementa & recrementa deponit in glandulis, uberior ſuccedit tranſpiratio, tantòque feliciùs quantò magis Emetico-catharticis compeſcitur fermentatio ſanguinis, & quoniam ventriculus appenſuſque inteſtinorum ductus, febrilium fermentorum fomes colluvie humorum pravâ per vomitum exoneratur, hinc ſubdulcior Chylus emungitur per orificia venarum lactearum ſanguiniſque efferveſcentiam magis ac magis temperat; demùm partes Mercuriales Saturninæ Antimonii ac ſulphur quo intimè vinciuntur, falſioris indolis humoribus obtundendis aptæ videntur, quâ oblungâ & tereti partium figurâ & plicatili ſubſtantiâ, quâ ſoliditate metallicâ aut aciditate vitriolicâ ſummè diffuſibili, haud abſimili modo quô ſpiritus aceti ſaturni imprægnatione, hebetatur. Huc quoque collimant quæ mucilaginoſâ ſubſtantiâ acido miti involuta & phlegmate copioſo luxuriant, qualia ſunt oryzata, hordeata, emulſiones ex ſeminibus frigidis &c. hæc enim vel phlegmate ſuo diluere ſalia fermentativa ſanguinis, vel eâdem tomentoſis partibus intricare atque adeò totiûs ſanguinis æſtum compeſcere valent, ſed quoniam fermentum febrium malignarum ità quandòque furit ut etiam ſexies iteratâ venæ ſectione non minùs vigeat febrilis æſtus cum pulſu magno, vehementi, ac duro, & cum delirio, periculumque exacerbationis febris ab Emetico impendeat, tutiùs conſultum videtur tunc laudanum exhibere quod levi ſulphureæ ſubſtantiæ ſanguinis diviſione & partis aqueæ proventu uberiori ſalia fermentativa temperare valeat, quæ magis efferveſcerent Alexipharmacorum uſu.

Ergò febribus malignis minùs tuta Alexipharmaca.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Joannes Baptiſta Mongin.	*M. Joan. Claud. Adr. Helvetius.*	*M. Joannes Cordelle.*
M. Alexand. le François.	*M. Salvator Cluſcard.*	*M. Antonius de Sainct-Yon.*
M. Michael Procope Couteaux.	*M. Claudius du Cerf.*	*M. Joannes Robert.*

Proponebat Pariſiis JOANNES BESSE, Petrocorenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1711.

Apud Viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog.